


INSTITUTIONUM CHEMICARUM

TOMUS ALTER, COMPLECTENS PARTEM III.

QUÆ IPSAS ARTIS OPERATIONES
EXHIBET.



PROLEGOMENA.



Nihil plus offendit sapientes, quoties Chemicorum scripta evolvere contendebant, quam numerosa, nulloque digesta ordine, Experimenta, quæ in iis observabant descripta, titulo Processuum. Tot enim illa inveniebant, sed & adeo varia, ut iis instituendis vix ætas hominis sufficeret, vix par laboribus tantis patientia humana reperiretur. Sed, quod omnium maxime obstabat, fuit ignorantio propositi, cujus gratia ipsos illos labores subierant Artifices. Si enim ipsi super his consulebantur rebus, vix ullam, quæ placeret Philosopho, rationem dabant. Postquam vero in Academiis doceri cepit Chemicarum Institutiones Operationum Chemicarum contentæ videbantur ostensione quorundam exemplorum promiscue, ut forte placebat Doctori, propositorum. Simulac igitur Discipulorum affectus ante triginta annos abhinc & me docendæ Chemicæ adhibuit, cogitavi serio, possemne operum Chemicorum in igne perficiendorum exempla concinno ordine ita absolvere coram, ut, lege Hippocratica, nihil temere, neglectum nihil, fieret.

Oportebit ergo primo sollicitè cavere, ne frustra quid fieret in hisce :

Tom. II.

A